

**Trinuno agonotheta has de natura et curatione vulnerum, quae
sclopetorum globulis infligi solent theses ... pro corona Asclepiadea ...
proponit / [Johannes Rosa Amberg].**

Contributors

Amberg, Johannes Rosa.

Asclepiades, of Bithynia, approximately 130 B.C.-approximately 40 B.C

Publication/Creation

Basle : C. Waldkirch, 1602.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/quj8ymg5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>














269


H. XLII

7/a











TRINUNO AGONOTHETA
 HAS
 DE NATURA ET CVRATIONE
 VVLNERVM, QVAE SCLOPE-
 TORVM GLOBVLIS INFLIGI
 SOLENT
 THESE S

EX IVSSV ET DECRETO
 AMPLISSIMI ET GRATIOSISSIMI
 MEDICORVM BASILIENSIVM
 COLLEGII
 IN INCLYTA RAVRACORVM
 ACADEMIA

PRO CORONA ASCLEPIADEA, CVM
 DOCTORALIBVS PRIVILEGIIS
 IMPETRANDA

PVBLCI EXAMINANDAS
 PROPONIT

M. IOHANNES ROSA AMBERG.
 PALATINVS.

In aula Medicorum

Addiem III. Maii.

~~~~~  
 BASILÆ,  
 Typis CONRADI WALDKIRCHII.

Anno cl. l. cii.

+



ILLVSTRISSIMO ET FORTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,

*DOMINO CHRISTIANO, Principi  
Anhaltino, comiti Ascaniae, domino Servesti &  
Bernburgi, &c. Pro Electori superioris Pa-  
latinatus Bavariae, &c. Domino  
meo clementissimo.*



Vae propositi mei, uti cōfido, laudabilis & honesti, causae mihi fuerint, pluribus hic edisserere, non opus esse arbitror. Illud potius, cur, Illustrissime & Fortiss. Princeps, honorū meorum primitias quasi, tibi offerri velim, breviter ut ostenderem, necessarium duxi. Ob publicam, quam Marte & Arte Celsit. Tua laudem acquisivit, nō dico, quantum tibi, Princeps Laudatissime, debeant privatim etiam omnes & singuli, quos aliqua patriae & communis salutis cura tangit. Perspecta tua est, Inclyte Princeps, praeter omnium aliarum scientiarum in Principe admirandam sanē noticiam, etiam Medicinae nostrae cognitio; Et cognita multis, quibus cum de abditissimis hujus artis, variorumq; ejusdem symptomatum causis, magna ipsorum cum admiratione sapissimē contulisti. Laudatur ante omnia, & jure, judicium Celsitud. Tuae, quod eam Medicinae nostrae partem, quae in Chirurgia consistit, vel maximē Medico necessariam statuatur, illamq; à plerisq; neglectam, non immeritō doceat. Taceo alia. Et ut propius ad instituti mei rationes accedam, in confesso est, quanto favore Cels. Tua parentem meum, septuaginta ferē trium annorum, toto illo tempore, quo laudatissimo Pro Electoris officio, in superiore Palatinatu Electorali, maximo omnium cum comodo fungitur, profecuta; quā etiam hinc benignissimē propositum hocce meum promovere non fuerit dedignata. Ingrato igitur magis ingratus essem, nisi erga Cels. Tuam aliquā saltem, pro praesenti mea tenuitate, animi mei declaratione, gratitudinem debitam exhiberem. Id ipsum ergō, hoc, quod ad disputandum sumpsi, argumenti genere, quod Cels. Tua suo exemplo experta, tantō facilius, quā utile planē, longeq; necessarium studium Chirurgicum Medico sit, judicare potuit, testatum facere volui; spe indubitata fretus, Cels. Tuam, id, donec majora Deus aliquando concesserit, benignissima fronte accepturam, suoq; patrocinio me fovere non dedignaturam. Deus Opt. Max. Cels. Tuam incolumens seruet, ut Reipub. Christianae, atq; literis diutissimē prodesse possit.

*Illustriss. Cels. Tuam*

*debita subjectione  
colens*

JOHANNES ROSA.





## THESIS I.

**I**NTER armorum genera, ratione materia, figura, magnitudinis, habitudinis, & virium discrepantia, ut nulli cedit postremis seculis inventa machina, quæ *διὰ τῆς βόμβæ* bombardæ, & à sclopo sclopetum dicitur, estq; perniciosissima, quod momētanea quasi celeritate, horrendoq; impetu atq; vi, obvia quæq; prosteruat: Ita etiam vulnera ab eadem illata, scvissima, periculosissima, & ut plurimum lethifera existunt.

### II.

Hinc factum est, ut horum atrocitate multi ex recentioribus medicis perterriti, tam quo ad eorum naturam, quàm curationem, in diversas & planè contrarias abiverint sententias: dum quidam (quod istorum scripta satis superq; testatur) empyreuma, itemq; venenum hisce vulneribus adjunctum, & propter hæc intentiones curandi mutandas esse contendant: quidam verò, quorum sententia veritati magis est consentanea, hoc negent.

### III.

Quamobrem themata de hisce vulneribus conscribere, & ex mutua collatione veritatem indagare visum fuit: Quod tamen, præmissa definitione, commodissimè fieri posse arbitror, siquidem & indicatio curativa, ut Galenus docet, inveniri nequeat, nisi mali cujuscunq; essentia, unicuiq; medicorum satis cognita atq; perspecta sit.

### IV.

Ictus autem, à globulo sclopetario inflictus, cum vel partes subjectas cuti, unde sit *ἐκχρῶσις*, vel easdem simul cum cute contundat & laceret: dicimus, hujusmodi vulnus esse solu-



tionem continui, à sclopeti globulo vehementer contundente,  
& dilacerante, in partibus humani corporis relictam.

V.

Contusionem huic vulnere conjunctam esse, non tantum globulus rotundus & gravis indicat, sed ex ipsa etiam forma vulneris patet, scilicet laceratione cutis & partium subjacentium, quæ ut plurimum latius se extendit ipso externo vulnere, maxime quando ossa collisa fractaque sunt: itemque ex symptomatis à contusa, attrita, & mortua carne proficiscentibus, sugillatione nimirum, inflammatione, abscessu, ac, nisi occurratur, Gangræna & Sphacelo: nec non curatione, quæ per suppurantia seu digestiva felicissime perficitur.

VI.

Remotam autem & prorsus alienam esse à globulis, ex canna anea propulsis, tantam caliditatem & vim causticam (quamvis exiguam & momentaneam, à pulvere, dum accenditur, illis impressam, omni tamen urendi vi destitutam, non negamus) ut hoc vulnus inurere, vel aliquo cauterio afficere posset, aliorum autoritas, itemque sensus, & ratio confirmat.

VII.

Experientia enim constat, & medici fide digni, qui hujus vulneris curationi aliquoties interfuere, testantur, quod in ijs, qui sclopeto sunt percussi, nullos adustionis effectus, ut sunt bullæ seu vesiculæ, explorare potuerint: quinimò, quod vestimenta ab ipsis globulis simul tacta & perforata, omnis combustionis notæ expertia viderint, nisi cominus ictus fuerit inflictus, ob accensi pulveris pyrii flammam.

IX.

Iidem etiam memoria prodiderunt, quod milites vel alios, qui ejusmodi vulnus acceperunt, de nulla vel exigua caliditate, antequam inflammatio vel suppuratio fieri incepit, conquerentes audierint: nec etiam illos, quibus globulus intus permansit, quos certe maxime urere, & ardore cruciari debuisset.



### IX.

*His majorem cōciliant fidem stupa, fœnum, paleæ, & lana, quæ, etiamsi aliàs ad flammā concipiendam atq; fovendam imprimis sunt idonea, à globulo tamen sclopetario percussa, nunquam accenduntur, aut adustionis notam præ se ferunt.*

### X.

*Hoc adde, cujus quilibet periculum facere potest, quod ipse pulvis tormentarius, ad inflammationē sive combustionē, ex minutissima etiā scintilla, omniū rerum promptissimus, si vel charta involutus, vel vase suo proprio cōtentus, ac tandem arbori appensus, globulo percutiatur, nullam flammā concipiat aut exardescat: Quod tamē ita factum volo, ut quoddam spaciū intercedat, ne flamma è sclopeto egrediens, vel pulverem apprehendat, vel etiam globulus præsertim ferreus, impetu repentino protrusus, lapidis aut ferri attritu ignem eliciat.*

### XI.

*Videmus etiam, papyraceum globulum bomba impositū, incombustum, & ab igne vix tactum egredi, nec non globulos ex sulphure, quod tamē facillimè inflammatur, cōfectos, si etiā culemur, non tantum non liquefcere, (quod tamen aut à pulvere, aut vehemente motu, aërisq; attritione, secundum aliorum opinionē, hīc imprimis fieri deberet) sed etiam asseres magna cum violentia perforare.*

### XII.

*Nec fieri potest, ut à pulvere momento temporis accenso atq; extincto, globulus expulsus ita calefiat atq; incalescat, ut vim causticam accipiat: Non enim omne patiēs patitur tātum necessariò, quantū agens agit. Hinc Aristoteles 2. de part. animal. 2. subiectum unum lentius altero ab igne calefieri monet.*

### XIII.

*Idem comprobatur experientia. Nam si globulus magno sclopetarij pulveris acervo obruatur, & pulvis ipse accendatur, quilibet tum globulum ilicò cōtrectans, eum omnis caloris ferme expertem esse fatebitur.*



## XIV.

Nec ex motu rapido, quo fertur, adeò incalescere potest, ut flammam concipiat, siquidem globulus sit ἀγών. Sphærica autem figura, Philosopho 4. cæli ultim. perhibente, per aërem facilius quàm cætera feruntur. Huic etiam Zabarella astipulatur, docens, quod motus, non quatenus motus est, calefaciat, sed tum, quando extenuat & atterit partes aëris. Aërem autem à vi globuli cedere & pelli, non autem extenuari aut atteri liquet.

## XV.

Hic tamen eos, qui globulos tam vehementer ignitos esse, ut carnem cauterio afficere possint, pertinaciter contendunt, interrogare licebit, cur hac vulnera ut plurimum hæmorrhagia, vel majori vel minori, pro partis lesæ natura, juncta sunt? Cum Galeno s. meth. docente, adurentia sanguinem comprimant & compescant; & experientia idem attestetur.

## XVI.

Concedimus etiam iisdem, contingere à globulis sclopetorum vulneratis non rarò sanguinis suppressionē, quæ tamen ustionem non arguit. Causa enim potest esse, vel nimia animi consternatio & terror, quæ fragore suo atq; impetu violento machina hac incutit: (Hinc multis post aliquot dies, quando animo tranquilliori sunt, copiosus sanguis effluit, calore nempe, & spiritibus in partem remeantibus) vel etiam cōtusio ipsa, cuius vehementia atq; magnitudine, partes tactæ non modò sanguine, sed etiam vitali spiritu quodammodo privantur, sanguis deinde ad vulnus recurrens, sua copia tumorem repentinum facit, cum propter attritam & cōculcatam circa vulnus carnem, quæ meatus obstruit, profluere nequeat.

## XVII.

His ita positis, nunc & eorum sententiam ad Lydium revocare lapidem placet, qui hæc vulnera veneno infecta, iisdemq; ut venenatis medicinam faciendam esse dicunt, principio ex pulvere bombardico, nec non malignis symptomatibus



matibus, hoc vulnorum genus plerumq<sup>3</sup> infestantibus, deducto, innitentes.

### X I I X.

An verò aliquid roboris habeat, quilibet sana mentis pulveris compositionem perpendens, absq<sup>3</sup> ulla difficultate indicare poterit. Constat enim ex sulphuris parte una, nitri partibus decem, & carbonum parte una, quibus admiscetur aqua, vinum, vel ejus spiritus. Quae pulveris ingredientia, cum omnino veneno careant, maximaq<sup>3</sup> vi, tam ad internos quàm externos corporis affectus sanandos, polleant, quis ex his compositum venenatum esse affirmabit?

### X I X.

Multò minus etiam propter transmutationem in igneam qualitatem venenatus dici potest, cum ipsa ratione edocti negare non possumus, imò in peste & moribus animalium venenatorum cognoscamus, ignem vi veneni, tum actu, tum potentia sua resistere, idemq<sup>3</sup> consumere, dissipare, & ex toto ipsi adversari.

### X X.

Quippe milites, qui benignum potius quàm malignum hujus pulveris effectum experti sunt, documēto etiam habemus. Hi enim, ubi se vulneratos sentiunt, statim ad hunc pulverem confugiunt, eum non tantum in vino dissolutum, tanquam potionem salutiferam bibentes, sed etiam ut sarcoticum, propter evidentem deterfionem atq<sup>3</sup> exiccationem inspergentes: quo etiam nomine Antonius Mizaldus eundem commendat, & inter sua secreta refert.

### X X I.

Ac certò, si hic pulvis unquā venenata & deleteria qualitate esset praeeditus, non posset non imprimis istis noxam inferre, eosq<sup>3</sup> veneno insicere, quibus ignescens in vultum insilct, seq<sup>3</sup> penitus insigit, quos tamen, absq<sup>3</sup> ulla veneni nota, imò etiam noxa, faciem granulis refertā, nigrisq<sup>3</sup> maculis conspersam, longo temporis spacio (nisi summa medici diligentia, e-



velluntur & eradicantur ) circumferre videmus.

XXII.

Absurdum autem est, quod nonnulli vim venenatam ex accidentibus hisce vulneribus supervenientibus colligere conentur : Cum eadem non semper ijs juncta sint, sed interdum pro constitutione corporis, præsertim cacochymici, item humoris cum summa copia affluentis, naturali tamen calore carentis, & ratione temperamenti in loco affecto, superveniunt.

XXIII.

Plurimum etiam momenti habet hac in parte, æris, temporis, & cæli qualitas. Ausler etenim, in harum plagarum concava penetrans, naturalem calorem debilitat, & hac ratione majorem vim partibus putrescentibus suppeditat, quæ rursus proximis deinceps labem communicant, donec Gangranam aut Sphacelum accersant.

XXIV.

Prognosticon in his vulneribus non differt ab alijs à contusione factis, habita sola ratione pulcherrimæ Galeni doctrinæ 4. meth. cap. 6. ubi vulnera tribus de causis gravia esse inculcat. Primum, propter partis affectæ præstantiam : deinde, propter mali magnitudinem : postremo, propter ipsius malignitatem.

XXV.

Ictus igitur ut plurimum lethales sunt, qui fiunt vel in parte principe, ut cerebro, corde, hepate, & renibus : Vel quæ toti inservit, ut in pulmone, diaphragmate, ventriculo, liene, vesica, &c. Item in venis, nervis, arterijs, gracilioribus intestinis, & præcipuè in vasis spermaticis.

XXVI.

Sanabiles e contra sunt ictus exterioribus partibus sine laceratione nervorum aut ossium infliti, ut brachijs, cruribus, & alijs, sive sint in trunco, sive in capite. Qui tamen interdum, ratione æris, corporis, temporis, nec non cæli constitutionis, periculo etiam non vacant.

Vulnera



## XXVII.

Vulnera quò majora sunt & profundiora, cum dilaceratione nervorum & ossium fractura, eò periculosiora sunt, ac praesertim ea, quae accepta sunt in capite cum fractura cranij, itemq; quae juncturis propinqua sunt, propter magna & varia symptomata, quae inde consequi solent.

## XXIX.

Vulnera putrescentia, praecipuè in corpore cacochymico, quae propter vapores malignos partes principales ita affligunt, ut convulsiones, phreneses, animi deliquium, febres, & rigores superveniant, plerumq; mors comitari solet.

## XXX.

Pessima quoq; & curationi contumaciora judicantur ista, quae valdè rotunda sunt, siquidem ut plurimùm, ob glandis sphaericum atq; rotundum corpus, talia esse solent. Unio enim non fit nisi per angulum, id est, duarum linearum concursus.

## XXXI.

Quaquam verò haec machina, ante ducentos circiter annos inventa sit, nec veteribus cognita, vulnera tamen à globulis ex illa emissis facta, novam curandi methodum non desiderant, praeter eam, quae à principibus medicorum, Hippocrate & Galeno, & alijs tradita est.

## XXXII.

Nam, cum hujus vulneris essentia contusionem atq; dilacerationem, cum solutione cōtinui conjunctam habeat: hoc certè consolidationem & unionem: illud verò tanquam contusum, peremptum, & mortuum, sui secretionem, & à partibus adhuc vigentibus atq; viventibus ablationem indicat, quae fieri potest per suppurationem commodam, juxta Galeni doctrinam 3. & 7. meth. dicentis: Carnes contusas putrescere ac in pus verti necesse est.

## XXXIII.

Curatio igitur, ut partes disjunctae invicem consolidentur, ab eo, quod rationem causa sine qua non obtinet, erit inchoan-



da, videlicet à suppuratione, quæ calida & humida adhibenda esse suadet, si contusio erit mediocris: exiccantia verò & putredini resistentia, si magna fuerit, quæ facillimè ad putredinem & Gangrenam tendit.

XXXIII.

Alia symptomata huic malo conjuncta, etiam non sunt negligenda. Nunquam enim contusam & attritam carnem removebimus, non sedato prius dolore, si aliquis vulneris locum infestat.

XXXIV.

Educenda etiam sunt & extrahenda ex vulnere, quantum facultas permittit, & secundum Celsum, absq; lesione nervi, vena aut arteria fieri potest, aliena & extranea, ut sunt frusta vestium, fragmenta lorica, aculei, ossicula aspera, &c. quæ omnia difficilis coalitus causa sunt.

XXXV.

Globulus vel digitis, vel specillo rotundo & obtuso percontatus, primo quoq; die, & præsertim, si propè nervum, venam, arteriam, aut alium locum, ubi damnum inferre potest, hæreat, idoneis hamulis, forcipibus cavis dentatis, rostro corvino, anserino, & alijs, prout affectus postulat, extrahendus est: Vel etiam, si nullum periculum metuendum sit, ne nimium cruciemus egrotantem, & indagando gravia accersamus symptomata, in corpore, donec natura sua sponte ipsum extrudat, relinquendus.

XXXVI.

Phlebotomia statim in principio adhibenda est, ut defluxus humorum in partem affectam prohibeatur, caveaturq; ne phlegmone aliqua molestetur, non neglectis tamen circumstantijs, quæ maximè hinc observanda sunt, videlicet, vulneris magnitudo, nec non corporis plenitudo, virium robur, ætas, tempus anni, &c. & alia.

XXXVII.

Nec purgatio humoris in corpore peccantis post phlebotomiam



miam intermittenda est: Hoc enim pacto irruentes humores non tantum reducimus, sed etiam parti afflicta infixos, juxta Hipp. & Gal. doctrinam, derivamus.

### XXXIX.

Quod ad victus rationem attinet, plurimum momenti habet exquisita etatis, virium, natura, constitutionis agroti, item temporis, consuetudinis, nec non regionis consideratio. Aer autem in his vulneribus ut plurimum eligendus est siccus & temperatus: Cibi boni succi esse debent: Potus erit aqua hordeacea vel Hippocratica, aut vinum dilutum: De motu & quiete illud Hippocratis ex libro de ulceribus est tenendum: Quietem sauciatis omnibus maxime convenire, laborem vero perniciosum esse: Somnus capiendus est pro ratione partium vulneratarum. Animi perturbationes summo studio sunt fugiendae.

### XXXIX.

Olea ferventia, ut Hyperici, ovorum, liliorum, lumbricorum, chamameli, &c. Item Ung. Aegyptiacum, tripharmacum Juberti, vulneribus his magna cum utilitate adhibentur. Intentiones vero omnes respicit sequens oleum vulnere instillatum, & linteolo ipsi impositum: R. Resina abietina ℥v. Ol. rosacei ℥ij. sem. hypericonis ℥v. sem. balsamina ℥ij. Modice terantur semina, & per dimidium horae in vase duplici cum oleis ebulliant, deinde colentur & servantur ad usum.

### XL.

Una cum his, medicamentum repellens proximis partibus est adhibendum. Illud autem erit vel posca (quae ex aqua & aceto componitur) cum pulvillis imposita, cui, si adest haemorrhagia magna, cum cvi albumine admisceri possunt pulveres emplastici, ut Bolus Armenia, thus, aloës, & consimiles: Vel R. Ol. rosar. ℥vj. pul. ros. rub. myrtil. boli Armen. præp. ana ℥j. Cera q.s. & misce lento igne pro linimento, baculo opt. agitando donec concreseat.

### XLI.

Fascia, ut Celsus lib. 5. cap. 26. monet, sic deliganda est, ut &



contineat neq; astringat. Quod enim non continetur, elabitur, quod nimis astrictum est, dolore, fluxione, inflammatione, & canoro periclitatur. Pars quoq; non oneranda est splenys, atq; applicare lanam benè carptam ad fovendum calorem naturalem expedit.

#### XLII.

Penicilli vel ἑμμοτα, initio & primis diebus, parvi, molles, & oleo suprà dicto imbuti, vulneri immitti debent, tantaq; duntaxat longitudinis ac crassitudinis, ut, ne vulnus claudatur, possint prohibere. Crassi enim, magni, & longi, dolorē excitant, & affluxum accelerant.

#### XLIII.

Facta suppuratione, ad detergentia ut veniatur, ratio suadet. Inter alia autem hoc administrari potest unguentum: R. Terebint. in aq. plantag. decies lota ℥ij. farina hordei ℥ij. mel. rosati q. s. & fiat Ung. quo vulnus impletur: huic etiam, prout vulneris magnitudo exigit, aloën cum thure & sarcocolla, addere potes. Quod si vulnus sordidum sit, Aegyptiacum itis est miscendum.

#### XLIV.

Vulnere benè deterfo & mundificato, antequam repleatur nova carne, inquirere iterum & scrutari diligenter oportet, an quid remanserit, quod in causa esse possit, ut post aliquod temporis intervallum ulcus recidat, & consolidatum rursus aperiat. Quod inventum extrahendum, eoq; facto tandem ad sarcolica & epulotica descendendum, ut in alijs vulneribus.

#### XLV.

Quomodo symptomata supervenientia mitiganda vel vitanda sint, morbiq; his vulneribus complicari soliti curandi, cum eadem alijs quoq; vulneribus & ulceribus sint cōmunia, Medici iudicio & artificiosa conjectura relinquendum est.

F I N I S.



